

addidit, cujus in *præfat. in Daniel.* & iterum *præfat. in librum P. II. Cap. V. Tobie* mentionem facit; 3. Hexapla & Octapla Origenis ad ma- *de Versione*
 nus habuisse, quorum beneficio, ex tot versionum collatione *Vulgata La-*
 pariter, ac lucubrationibus, notis & Commentariis Origenis, He- *tina.*
 braice doctissimi, in difficilioribus locis iudicium veteris ecclesiæ
 expiscari, & in ipsa Hebraismi peritia mirum quantum proficere
 posset; 4. insignem traditionum, interpretationum, fabularum,
 & observationum Judaicarum farraginem in Commentariis suis,
 ceterisque scriptis, larga manu inspersisse, unde non idiomate
 tantum, sed & universa fere encyclopædia Hebraica probe tinctum
 imbutumque eum fuisse intelligimus: non possum translationio-
 nibus ejus, ex Hebræo textu factis, eximium non statuere præ-
 cium, maxime cum bonæ interpretationis regulas curate obser-
 vaverit, & *nunc verba, nunc sensus, nunc simul utrumque*, prout res &
 necessitas ferebat, Latine expresserit, ut *præfatione in Jobum* testatur.

III. Quam autem cunque Stridonensis Presbyter operam, his
 recognitionibus Biblicis æque ac versionibus novis navaret, quan-
 tamcunque doctoribus præstaret utilitatem, quot quantisque præ-
 cibus Desiderii, Chromatii, Domnionis & Rogatiani, Lucinii Be-
 tici, nobilium insuper, doctissimarumque fœminarum, Paulæ &
 Eustochii, Suniæ & Fretelæ, ad hunc laborem provocaretur & in-
 stigaretur, impari tamen gavisus successu, prohibere non potuit,
 quin calumniis & obtreccionibus adversariorum acerbissimis
 hoc nomine peteretur. Augustino cum primis, Episcopo Hip-
 ponensi, hoc ejus institutum improbabatur, ut temerarium, & ad
 auctoritatem versionis LXX. Interpp. convellendam & minuendam
 compositum, ut ex *lib. XVIII. de Civ. Dei cap. XLIII.* ejusdemque
ad Hieronymum Epist. X. & XIX. constat: metuebat enim, ne si hæc
 ejus interpretatio per multas ecclesias reciperetur, a Græcis ec-
 clesiis Latinæ dissonarent. Interim pro sua modestia Augustinus
 honorificam mentionem facit novi istius interpretis *cit. loc. de C. D.*
ubi: Nostris, inquit, temporibus non defuit presbyter Hieronymus, ho-
mo doctissimus, & omnium trium linguarum peritus, qui ex Hebræo in
Latinum eloquium Scripturas convertit. Mox alii longius progressi,
 canino dente eum rodere, viri famam lacerare, & velut ex plau-
 stro convitia in ipsum jacere cœperunt, ut mox in *præfationibus,*